



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Principium 2. Inanis est Sacramentalis actio, cui deest legitima Ministri
intentio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Sensus.

Hoc est, ut Sacramentum aliquod validè conficiatur, præter intentionem Ministri, etiam materia, & forma, scilicet Res & Verba, quæ gratiam Sacramentalem ex opere operato conferant, requiruntur.

Authoritas.

Delumptum est ex S. Augustino tr. 8. in Joan. dicente: *Verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Item ex Concilio Florentino in decreto Eugenii dicente: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Persona Ministri.* & addit: *hominem si aliquid desit, non efficitur Sacramentum.*

Ratio.

Quia sic Christus instituit, uti ex Conciliis & communione Theologorum colligitur; & colligitur ex eo, quod materia requiratur, ut Sacramentum sit signum visibile, forma vero, ut determinet indifferentiam materiæ ad certam significationem.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Etiam in Sacramento Eucharistiæ verba reperiri non tantum in fieri, sed etiam in facto esse, quatenus verba, quibus conficiebatur, adhuc moraliter perseverant, uti Lugo & alii concedunt.

Deducitur 2. Nec in Sacramento Matrimonii deesse verba, cum ipsa signa externa, quibus contrahentes mutuum consensum significant, verborum saltem virtualium loco habentur, uti plerumque explicant Authores contra Durandum.

Deducitur 3. Et si Pœnitentiæ Sacramentum in solis verbis, scilicet in confessione & absolutione facienda proferris, consistere videatur; verè tamen adhuc materiâ consistit, quia constat contritione, quæ fit per ipsam confessionem, & similes circumstantias sensibiles, ut Lugo & alii docent.

PRINCIPIUM II.

Inanis est Sacramentalis actio, cui deest legitima Ministri intentio.

Sensus.

Sensus.

Hoc est, Nisi Minister Sacramenti legitimam intentionem eliciat, & id, quod Christus fieri iussit, vel quod Ecclesia facere solet, intendat, non efficiet verum Sacramentum.

Authoritas.

Desumptum est ex Trident. Sess. 7. can. 11. & communis sensu Theologorum.

Ratio.

Quia Ministri constituti sunt à Christo, ut Sacramenta rationali modo ministrent, uti ex illo Apost. 1. ad Cor. Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum DEI: colligitur; ad hoc autem requiritur, ut verè facere velint id, quod Christus instituit, aut Ecclesia præcipit.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Non sufficere habitualement intentionem in Ministro, sed actualem vel virtualement requiri, quia alioqui non humano modo operaretur Minister.

Deducitur 2. Nec conditionatam intentionem conditione pendente in futurum sufficere; quia alioqui Sacramenta non essent practica symbola, uti communiter docent Authores.

Deducitur 3. Nec sufficere, ut Minister solam actionem externam intendat, sed debere saltem implicitam intentionem velle Sacramentum conficere; quia alioqui non decerneret sufficienter indifferentiam Verborum & actionum ad effectum Sacramentale, ut iterum communis Authorum contra Scelerum bonium docet.

PRINCIPIUM III.

Non debet concedi Sacramenti participatio, ubi non supponitur legitima dispositio.

Sensus.

Hoc est, cum ad hoc, ut Sacramentum validè & licitè percipiatur, certæ à Christo & Ecclesia dispositiones in recipiente requirantur, non debet temerè ad Sacramenta percipiendi admittere.